



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1846

VI. Derselbe schenkt demselben das Dorf Danik bei Ratzeburg, im Jahre
1229.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54572)

capella zwerin in vigilia sancti Johannis baptiste. Datum per manum Geseberti — canonici in Zwerin, curie capellani —.

Aus dem Transsumte des Fürsten Heinrich des Löwen vom 23. März 1311 in Risch Mecklenb. Jahrb. I, 202.

V. Herzog Albrecht von Sachsen schenkt dem Meister Heinrich für den Johanniter-Orden das Dorf Pogätz bei Raseburg, am 13. August 1228.

— Albertus, Dei gratia Dux Saxoniae — multiplicia servitia dilecti nostri Magistri Henrici, fratris hospitalis Sancti Johannis in Jerusalem, quae grata nobis exhibuit, ac in antea, si supervixerit, exhibere poterit gratiora, libenti animo recolentes, ex innata nobis mansuetudine, qua confuevimus benemeritis respondere, dignum duximus, labores ejus et multipliciter servitiorum ejusdem per recompensationis meritum clementius intueri. Ad instantiam igitur dicti fratris, in honorem omnipotentis Dei, gloriosae semperque Virginis Mariae, ac Sancti Johannis Baptistae, cujus ad honorem memoratum hospitale erectum nofcitur et constructum, de mera liberalitate nostra praenotato hospitali, nostrorum in remedium peccatorum, cum omni integritate offerimus et donamus villam Pogätz, cum omnibus justiciis et judiciis, proventibus et pertinentiis suis, silvis videlicet, nemoribus, pratis, pascuis, aquis, piscationibus, venationibus, terris, cultis et incultis, volentes eandem villam cum inhabitantibus ipsam ab omni exactione, angaria, expeditione esse liberam et immunem. — Actu haec bona singula, quae dictum hospitale infra terminos nostri Ducatus jam possidet, aut in futurum poterit adipisci, nostrae protectionis ac muniminis accepimus sub tutela. Testes hujus facti sunt Henr. Comes de Vrildenes, Olricus Burgravius de Bechi, Henr. de Bujez, Bartold. de Veltigre, Raveno nobiles, Berteramus Pincerna, Conrad. Camerarius, Olricus de Koyne, Eghard de Culpin, Otto de Rawal, Werner. Metfere, milites. Thider. et Henr. Clerici, et quamplures alii viri providi et honesti. Actum Razeborch, Anno Domini M. CC. XXVIII. Idus August. Ind. I.

VI. Derselbe schenkt demselben das Dorf Danik bei Raseburg, im Jahre 1229.

— Albertus, Dei gracia Dux Saxoniae — in honorem omnipotentis Dei et suae sanctissimae genitricis, nec non et S. Johannis nostrorumque in remedium peccatorum ad exhortationem et instantiam dilecti nostri, Magistri Henrici, fratris Hospitalis Sancti Johannis in Hierusalem, viri providi et discreti, cujus multipliciter servitiorum, quae saepius grata nobis exhibuit, et adhuc exhibere poterit gratiora, pro eo etiam, quod profectui Domus suae, cujus frater est, sensibilibiter et laudabiliter sic intendit, volentes clementius intueri ex innata nobis mansuetudine, qua confuevimus benemeritis respondere, hospitali Sancti Johannis in Jerusalem, villam Dasnic, cum omni utilitate ac integritate, terris, cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis, piscationibus, sylvis, nemoribus, venationibus, opportunitatibus judiciariis, et cum omnibus ad praenotatam villam pertinentibus de mera liberalitate nostra integraliter concedimus et donamus, volentes pariter et mandantes, quod praenotatum hospitale praenotatam villam libere possideat et quiete —. Testes hujus facti sunt Raveno de Razeburg, Eghardus de Culpin, Otto de Rowal, Wernerus Metfeco, Hermannus de Magdeborch,

Wedekinus, Thymo de Berco, milites. Thidericus, Henricus et Johannes, Clerici et quamplures alii viri providi et honesti. Actum Ratzeborch, Anno Dominicae incarnationis MCCXXIX. Indictione II.

Nach Lünig's Spicileg. ecclesiae Xpl. I, Forst. Anh. S. 85, 86.

VII. Barnim, Herzog von Pommern bestätigt dem Johanniter-Orden die Stadt Stargard und mehrere Orte, am 18. October 1229.

In nomine sancte et individue trinitatis. Notum sit tam presentibus quam futuris, quibus haec littera claruit, quod ego Barnim diuina prouidencia dux Pomeranie cum matre mea future habitationis gloriam contemplant interminabilem et ciuium supernorum letitiam intuent inexplicabilem amplioris dilectionis affectum extendi in fratres domus hospitalis sancti Iohannis baptiste, qui quadam prerogatiua caritatis feruentel intrinsecus cristi pauperibus et infirmis multimodum impendunt corporis solacium et se ipsos contra Sarracenorum dimicantium iniurias multociens tradunt mortis in precipicium pro amore cristi prospera et aduersa sufferre promptissimi. Quorum deuocionem et sanctam conuersacionem multi antecessorum nostrorum approbantel, domum eorum variis decorarunt donariis. Ego eciam cum matre mea futuram magis quam presentem appetent habitationem rerum temporalium commercio vite aditum Inuenire desiderant, fratribus domus nominate Stargard, zalotino, Colo, Tychow, Srachto, Wlcovo, Cocolicino, Cozlovo, Sadlow, Clap Liecnicca, Gogolovo, Hec omnia prenominata cum terris, siluis, aquis, lacubus, pratib et omnibus pertinenciis, que a domino auo et patre meo beate memorie duce buguslao sunt pia liberalitate donata, Ego vero filius eius domino auxiliante succedent pro remedio anime mee et omnium antecessorum et successorum meorum ab omni exactione curie mee . . . consiliariorum meorum que in terra mea esse consueuerint Narez, offsep, edificatio castrorum et poncium et si qua emerferit alia perfolucio per omnia funditus deo et beato Iohanni baptiste remitto et pace tranquilla confero et confirmo in perpetuum fratribus pretaxatis possidenda. Et quod manu caritatis domino deo liberaliter contuli viris bone voluntatis deo mihi ministrante hilariter et inuolabiliter cum matre mea confirmo. Verum quia huiusmodi factum processu temporis in irritum solet deduci, presentem paginam sigillo meo duxi roborandam. Si quis autem hoc confirmacionis mee priuilegium Infringere attemptauerit, cum diabolo et angelis eius in sehemnam perpetualiter comempnetur. Testes autem, in quorum presencia hoc scriptum est, sunt isti Saborius dux frater domine, Dominus Wratiflaus castellanus de Stetyn, Prifnobor cum filio Jaroslao, Stephanus filius Roswari cum fratre Suliflao Mosecot, Pribiflaus cum filio Iutoborio, Dalimirus tribunus, kazimirus milovic filii pauli, Wogflauf et pribinca, Iacobus, laurencius et ceteri quam plurimi. Hoc autem factum est ut fratres domus hospitalis libere possint hospites qualescumque iure teutonicali in omnibus villis suis collocare. Hec autem facta sunt anno dominice incarnationis M°. CC°. XX°. nono. Pax sit habentibus et legentibus omnibus amen.

Et ego hermannus dei gracia Caminensis Episcopus et Ego Adolfus decanus eiusdem ecclesie, vidimus litteras domini barnimi sigillo suo et matris eius signatas, legimus de verbo ad verbum, ut supra transcriptum est, non cancellatus non abolutas nec in aliqua parte viciatas, et ad petitionem et instanciam et perpetuam memoriam sigillorum nostrorum munimine eas fecimus roborari. Ego eciam henricus, prebiter, Notarius dicti Episcopi caminensis de mandato eius predictam litteram